



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Qualitates discursuum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54750](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54750)

ubi talis te oris ac famæ, virtutis & prudentiæ esse perspexerint sæculares, plurimum apud eos boni efficies. Multiplex id experientia docuit cum magna Societatis commendatione, pro qua si genuinum habes zelum, *vincendo in bono malum*, zelare debes ad exemplum D. N. J. C.

*Qualitates discursuum.*

3tio. **Q**ualitates discursuum in conversatione cum proximo formandorum breviter perstringo illo Apost. ad Philip. 4. *Quæcumque sunt vera* (non exaggeratoria, non adulatoria, aut nimium conniventia, non supersticiosa, & fabulis proxima) *quæcumque pudica* [non infulsi aut scurriles joci aut nugæ, nam nugæ sæculares, teste S. Bern. in ore Religiosi sunt blasphemix] *quæcumque justa* [juxta sanam ac solidam doctrinam, nec in præjudicium tertii] *quæcumque sancta* [ex Scripturis, Ascetis desumpta] *quæcumque amabilia.* Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci. Si usus, ait magnus ille Basilius, *inciderit aliquando, ut sermone ad hilaritatem excitemur, danda omninò opera est, ut spiritali lepore referta sit oratio nostra, & Evangelico sale condita, ut recte, qua interius sit, sapientia gratum foràs odorem aspiret, dupliciterque Auditorem & animi relaxatione, & intelligentia festivitate delectet* ] *quæcumque bona fama, si qua virtus, si qua laus disciplina* [ex omnigenæ scientiæ ac virtutis armamentario deprompta, quæ Societatem commendant, & ad majorem DEI

gloriam, ac proximorum salutem propagandam deserviunt ] *Hæc cogitate & tractate.* Usque huc aureum Apostoli monitum. Cui subnecto ea, quæ ad instructionem nostram in ordine ad discursum cum proximo, narrat Ribad. de S. P. N. in ejus vita: *Sententiarum erat gravitate plenus, non verborum copiâ, & simplex potius videbatur narratio, quàm amplificatio ac contentio, quæ pondus habebant; iis multùm inhærebat. Tanta erat in sermone ejus gravitas ac efficacia, ut non tam humana, quàm divina haberetur. Pervicaces ac ferreos ita paulatim suo faciebat obedientes imperio, ut ipsi se, suamque mutationem sæpè mirarentur.*

*Tempus conversationis Apostolica.*

4<sup>to</sup>. **C**IRCA tempus alloquiorum & visitationum sunt observanda tria.

*Primò, Visitaciones non debent esse nimis frequentes, nec nimiùm protrahi; nam juxta Greg. Quò quis amplius in secreto contemplationis latuit, verbi divini thesauros ad eos, qui se expectant, ditiores trahit. Justò crebriùs excurrens meritò judicatur temporis fallendi, aut alterius sensualitatis gratiâ id facere; maximè, si sociùm confidentem quærat. Non tantùm falluntur sæculares, si eos cæteris meliores judicent, quibus pedes continuò ad excurrendum pruriunt; sed & ipsi, dum magis magisque eos incipiunt nôsse, errorem suum corrigunt, & sic ex frequentibus alloquiis non aliud reportas præmium,*